



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 6. Vtrum impositio manuum Episcopi sit necessaria ad essentiam  
Ordinis Sacerdotalis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

An Christi-  
tus ordi-  
narit per  
manuum  
impositio-  
nem?

potuit tamē eas imposuisse, Ioan. 20. quando dedit potestatem absoluendi, etsi hoc scriptum non sit; sicut & alia plurima scripta non sunt. Adde: Dominum potuisse dare effectū Sacramenti sine Sacramento: sicut Apostolis dedit effectum Confirmationis sine Sacramento Confirmationis.

4  
2. Ex Con-  
cilijs

Probatur Secundò: Ex Concilijs. Conc. Oecumenicū Chalcedonense can. 2. *Si quis Episcopus per pecuniam Ordinationē fecerit, & pretio vendiderit Spiritus S. gratiam, deponatur: ubi Concilium vetat Ordinationem fieri pro pecunia; quia gratia Spiritus S. venderetur: sentit ergo in eo dari gratiā Spiritus sancti. Idem postea multa alia Concilia decreverunt. Denique Conc. Florentinum approbantibus Latinis & Græcis, ait, Sextum Sacramentum esse Ordinis. Conc. Tridentinū sess. 7. can. 1. & seqq. dicit anathema ijs, qui dicunt Ordinem, aut aliquod ex sex alijs, non esse propriū & verē Sacramentum, aut non conferre gratiam ex opere operato. Omitto alia loca eiusdem Concilij.*

Chalcedo-  
nense.

Florent.

Trident.

5  
3. ex Patri-  
bus

Probatur Tertio: Ex Patribus. Horū testimonia vide apud Bellarm. Valentiam, & alios. Innocentius I. epist. 18. c. 3. ad Alexandrum Antiochiæ Episcopum dicit, *Plenitudinem Spiritus S. maxime operari in Ordinationibus Sacerdotum: & apertè insinuat, maiorem dari gratiam in Ordinatione, quam in Baptismo, quem ibi cum Ordinatione cōparat. Ambros. de dignitate Sacerdotali c. 5. Quis dat frater, Episcopalem gratiam, Deus an homo? Respondes sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manum, Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicē dexteram, Deus benedicit potenti dextera. Vide totū illud caput contra eos, qui ordinant pro pecunia. D. August. lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. probat Sacramentum Ordinis non posse amitti, ac proinde neque iterari, eò quòd Baptismus non possit amitti seu iterari: *Vtrumque enim, inquit, Sacramentū est, & quadam cōsecratione vtrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: & idē in Ecclesia Catholica vtrāque nō licet iterare. Et infra: Si enim vtrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & istud amittitur? neutri Sacramento iniuria faciendā est. Vide totum istud caput.**

Innoc. I.

Ambros.

Augustin.

Leo.

Idē alibi docet, vt lib. 1. de Baptismo c. 1. D. Leo epist. 81. c. 1. ad Dioscorum, Ordinationem Sacerdotum vocat Sacramentum: *Teiunantes, inquit, & erantes imposuerunt eis manus, vt intelligatis quantā & dantium & accipientiū deuotione curandum sit, ne tantā benedictionis Sacramentū negligenter videatur impletū. Et epist. 87. c. 1. loquens de ordinatione personarū indignarum: Quis, inquit, dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur iniuriam. D. Gregorius lib. 4. Comment. in libros Regū c. 5. de Sacramento Ordinis loquens, Quis promouetur, inquit, bene foris vngitur, si intus virtute Sacramenti roboretur. Denique idē docent omnes DD. cū Magistro d. 24.*

Gregor.

6  
4. ex Ra-  
tione.

Probatur Quarto: Ratione. Prima est: In Ordinatione datur potestas conficiendi & administrandi Sacramēta, quibus in Ecclesia Catholica nihil est sanctius: atqui hæc potestas non potest cōuenienti modo exerceri sine gratia iustificante: ergo in Ordinatione confertur gratia iustificans; ac proinde Ordinatio est verum Sacramentum. Cōsequentiā patet; quia cū Deus dat potestatem alicuius muneris, simul cōfert ea, quæ necessaria sunt ad illud munus ritè obeundum: Dei enim perfecta sunt opera. Secunda ratio est: Non minùs necessaria est gratia ad legitimè conficiendā Sacramēta & ad-

ministrandā, quàm ad ea recipiendā; cōficiens enim magis in illa influit, ac proinde si sit peccator, magis ea contemnat: ergo si in Baptismo tribuitur gratia ad alia Sacramēta cōuenienter recipiendā, multò magis in Ordinatione dabitur ad omnia Sacramēta cōuenienter tractanda & conficiendā.

DVBIVM IV.

Vtrum forma huius Sacramenti conuenienter exprimitur?

Respondeo Affirmatiuè. Notandum Primò: Aptè exprimi formam huius Sacramenti verbo imperandi; vt in Ordinatione Sacerdotis, *Accipe potestatem offerendi: similitè modo in alijs Ordinibus: vt patet ex Cōcilio Florentino, & ex Rituali Romano. Ratio est: Primò, Quia per hoc Sacramentū confertur potestas ei, qui ordinatur; potestas autè optimè confertur verbo imperandi, Accipe potestatem. Sic cū cōstituitur Rex, presertim à potestate superiore, rectissimè ei diceretur porrecto scepro, Accipe potestatem regendi populum. Secundò, Quia hoc solum Sacramentū producit effectū sibi similem in altero: Episcopus enim per Ordinē quem habet, confert alteri Ordinē. Quare, vt hæc traductio potestatis à potestate significatur, dicitur, Accipe potestatem &c. Per hoc enim significatur communicari Ordinato eam potestatem, quæ est in Ordinate. Qualis autem sit hæc potestas, significatur per actum, qui in forma exprimitur.*

Cur hæc forma exprimitur verbo imperandi.

Notandū Secundò: In forma huius Sacramenti non exprimi effectum illius Sacramenti, qui est gratia iustificans, sicut exprimitur in Baptismo, Cōfirmatione, Pœnitentia, & extrema Vnctione. Ratio est, quia hoc Sacramentum non est institutū primariò in vtilitatem suscipientis, sed aliorū: illa autè sunt instituta ad ipsum suscipientē in se sanctificandū. Vnde in forma huius Sacramenti exprimitur solum potestas spiritualis, quæ in aliorū vtilitatem datur; in alijs autem exprimitur gratia sanctificans seu remissio peccatorum, quæ datur in vtilitatem suscipientis.

Cur in hac forma non explicetur effectus Sacramenti.

DVBIVM V.

Vtrum hoc Sacramentum habeat materiam?

Respondeo Affirmatiuè: Hoc enim omni Sacramēto est cōmune, vt patet ex suprā dictis. Notandum est: In Sacramentis materiā & formam ad eandem rem significandā adhiberi. Vnde in hoc Sacramento sicut forma significat & exprimit potestatem quæ per illud traditur, ita & materia. Instrumenta enim quibus cuiusque Ordinis potestas & officij designatur, sunt materia huius Sacramēti; vt in Sacerdotio calix cū patena, vīno & hostiā; in Diaconatu; liber Euangeliorū, & sic in cæteris. Verū cū in Sacerdotio, non solum hæc instrumenta porrigantur, sed etiā manus imponantur ab Episcopo: quæritur inter Doctores, vtrum hæc impositio manuum sit necessaria ad essentiā huius Ordinis tanquā pars materiæ essentialis. Vt autem hæc res meliùs & distinctiùs intelligatur singulari dubio eam excutiemus.

Materia quæ.

DVBIVM VI.

Vtrum impositio manuum Episcopi sit necessaria ad essentiā Ordinis Sacerdotalis?

Sotus dist. 24. qu. 1. art. 4. docet hanc impositionem manuum non esse necessariam; neque

Le e e ij

10  
Negat etiam Soto.

etiam verba illa, quæ simul cum impositione proferuntur ab Episcopo, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remisistis &c.* Sed totum Sacramentum Ordinis sacerdotij perfici in porrectione calicis cum vino, patenæ cum pane, tanquam integra materia; & illis verbis, *Accipe potestatem offerendi &c.* tanquam integra forma. Impositione autem manuum solum explicari gratiam, & potestatem antè collatam: esse enim cæremoniã sacramentalẽ, non Sacramentũ. Hanc sententiã existimat Sotus esse cõmunem Doctorum. Verũ contraria est certa. Pro qua

<sup>11</sup>  
Impositio  
manuũ est  
de essentia  
Sacramenti  
Sacerdotij,

D. Thom.

Bonaucen.

Ex Scrip-  
tura,

Ex Conci-  
lijs,

Ex Patri-  
bus,

<sup>12</sup>  
Verba, *Ac-  
cipe Spi-  
ritum S. &c.*  
sunt de es-  
sentia Sa-  
cramenti  
Sacerdotij,

Dico Primò: *Impositionem manuum* pertinere ad essentiam huius Sacramenti, sic vt sine ea Ordinatio Sacerdotis sit essentialiter imperfecta. Colligitur ex D. Thoma qu. 37. art. 5. vbi dicit, *Per manus impositionem dari plenitudinem gratia*: atqui non daretur gratia, si non esset Sacramentum, sed solum aliquid sacramentale. Et in responsione ad 2. dicit Dominum post resurrectionem Ioannis 20. quando dixit, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis &c.* dedisse Apostolis sacerdotalem potestatem quoad actum secundarium, qui est *ligare & soluere*. D. Bonaucen. dist. 24. parte 2. q. 4. expressè docet, nõ solum instrumentorum porrectionem, sed etiam *manuum impositionem* esse materiam, tum in Sacerdotio, tum in Diaconatu: & initio Ecclesiæ Diaconos esse ordinaros per solum *manuum impositionem*; eò quòd in hac alia instrumenta virtute contineantur, cum *manus sit organum organorum*. Et infra dicit, *Impositionem manuum Episcopi* non solum esse significationem, sed etiam potestatis collationem. Idem expressè docet Scotus dist. 24. art. 3. & Paludanus eadem dist. q. 2. vt omittam recentiores. Vnde patet illam alteram non esse communem, vt Sotus affirmat.

Probatur Primò: ex Scriptura, Apostolus 2. ad Timoth. 1. dicit *per manus impositionem dari gratiam*. Confirmatur; quia in Scriptura Ordinatio ministrorum nunquam exprimitur, nisi per *manuum impositionem*; nec aliud eius symbolum externũ traditur: vt patet Act. 6. v. 6. & c. 13. v. 3: 1. ad Tim. 4. & 5: & 2. ad Tim. 1. Atqui nõ est credibile Scripturã omisso ritu essentiali semper exprimere hoc Sacramentum per cæremoniã extrinsecam.

Probatur Secundò: ex Concilijs, quæ passim docent *per manus impositionem* ordinari ministros. Vide Concil. Nicænum can. 9. vbi dicit *per manus impositionem ordinari Presbyterum*. Concil. Carthaginense I V. can. 3. dicit *Presbyterum ordinari Episcopo super caput eius manus tenente: simili modo ordinari Diaconum*. Idem confirmat Concil. Trid. sess. 14. c. 3. de extrema Vnctione, dicens; *Ministrum Extrema Vnctionis esse Episcopum vel Presbyterum ritè ordinatum per manus impositionem*. Et sess. 23. can. 4. apertè indicat *dari Spiritum sanctum cum Episcopus dicit in Ordinatione, Accipite Spiritum sanctum*: atqui hoc dicitur, dum manus imponuntur.

Probatur Tertio: Ex Patribus, qui expressè docent Sacerdotes ordinari per *χρησολογία*, id est, *manuum impositionem*. Vide Dionysium Areopagitam lib. de Ecclesiasti. Hierarch. c. 5. parte 2. & 3. Clementem Rom. lib. 8. constitutionum Apostol. c. 16. Ambros. supra. & Hieron. in c. 58. Isaia.

Dico Secundò: Sicut *impositio manuum* pertinere ad essentiam huius Sacramenti, veluti pars materiam, seu materia partialis; ita hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum &c.* pertinent ad essentiam huius Sacramenti, tanquam forma partialis. Docet hoc ex-

pressè Scotus dist. 24. art. 3. Et indicat Hieron. in c. 58. Isaia: cum ait *χρησολογία non solum ad impressionem vocis, sed etiam ad impositionem manuum impletur*. Vbi per *impressionem vocis*, intelligit illa verba, *Accipe Spiritum sanctum*. Idem colligitur ex Concil. Trid. sess. 23. can. 4. vbi per verba illa, *Accipe Spiritum sanctum*, vult dari gratiam: ergo vult esse formam partialem. Probatur; quia, si *impositio manuum* est partialis materia Ordinationis sacerdotalis, ergo debet habere formam sibi respondentem: neque enim verba illa, quæ in porrectione calicis pronuntiantur, impositioni manuum respondere possunt, cum diu antè pronuntiatã sint, nempe ante Canonem inceptum; impositio verò manuum fiat post Canonem. Idem cõfirmari potest ex Rituali Romano, vbi sicuti porrectioni calicis respondent illa verba, *Accipe potestatem*; ita impositioni manuum ista, *Accipe Spiritum sanctum*.

Dico Tertio: Aliam potestatem & gratiã dari in porrectione calicis, aliam in *manuum impositione*. Ita docet Scotus supra, & Paludanus loco citato. Sequitur ex dictis: nam per vtrumque confertur potestas Ordinato, ac proinde etiam gratia: atqui potestas illa est distincta: alia enim potestas exprimitur dum calix porrigitur, alia quando manus imponuntur. In calicis porrectione significatur & exprimitur potestas consecrandi Corpus & Sanguinẽ Domini; quæ dicitur *Potestas in Corpus Christi verum*: ac proinde hæc potestas confertur & simul gratia ad eius vsum necessaria. In impositione manuum significatur & exprimitur potestas remittendi peccata per Sacramentum Penitentia, quæ vocatur *Potestas in Corpus Christi mysticũ*; ac proinde cõfertur hæc potestas & gratia illi respondens.

Hinc patet Sacramentum Ordinis sacerdotalis constare duabus partibus, quarũ quæque suam habeat materiam & formam partialem, & quæque suum conferat effectum; quæ etiam possent distinctis temporibus conferri, vt colligitur ex Gregorio IX. c. *Presbyter*. de Sacramentis non iterandis. Vnde etiam Dominus eas distinctis temporibus dedit: potestatem enim consecrandi dedit in cana; potestatem remittendi peccata, post resurrectionem, Ioannis 20. Vnde nisi impositio manuum ad priorem accedat, ordinatio est imperfecta, & veluti dimidium constituit Sacerdotem, vt qui nondum habeat potestatem remittendi peccata, licet habeat potestatem consecrandi.

Sed contrã Obijcitur Primò, ex Soto: Concilium Florent. non meminit nisi vnus materia & forma; scilicet porrectionis calicis cum vino, & ex Florent. patenæ cum pane, & verborum respondentium, & per hæc dicit tradi Presbyteratum.

Respondeo: Sicut Patres, cum explicant ritum ordinandi Sacerdotes, non faciunt mentionem, nisi *impositionis manuum*, nec tamẽ idcirco negant *porrectionem calicis* esse necessariam: ita Concil. Flor. etsi non meminerit nisi *Porrectionis calicis*, tamen non negat *impositionem manuum*: non enim Concilio propositum erat, exactè explicare omnia necessaria, cum ea ex libro Rituali Romano petenda sint, ad quem Concilium tacitè remittit, cum ait, *similiter in alijs &c.*

Petes: cur Concilium potius expressit calicis porrectionem, quam manuum impositionem?

Respondeo: Fortassis, quia calicis traditio est prima & præcipua pars huius Sacramenti; vnde sufficiebat hæc expressè, & reliquas tacitè indicasse. Obijcitur

<sup>13</sup>  
Porrectio  
calicis & im-  
positio ma-  
nuũ habent  
diuersos  
effectus.

Ordo Sa-  
cerdotalis  
cõstat dua-  
bus parti-  
bus,

<sup>14</sup>  
Oligatio  
& ex Floren-  
tino.

Solutio;

2. Obiectio  
quod una  
potestas  
in altera  
contineat  
tur.

Obijcitur Secundò: Characteri sacerdotali annexa est potestas remittendi peccata; sed hic character imprimitur *porrectione calicis*: ergo etiam tunc datur potestas remittendi peccata.

Integra  
Sacerdotis  
potestas  
duabus po-  
testatibus  
constat,  
vt & inter-  
ger chara-  
cter duobus  
characteri-  
bus.

Respondeo: Integro characteri sacerdotali annexa est illa potestas remittendi peccata: qui autem porrectione calicis imprimitur, non est integer: nam integer ex duobus constat characteribus, sicut integra Sacerdotis potestas duabus potestatibus constat, quæ diuersis symbolis externis conferuntur. Neque hoc est absurdum, aut contra communem sententiam, vt Sotus existimat. Quando enim datur potestas consecrãdi, datur solùm character huic potestati respondens, in quo hæc potestas fundatur: & quando datur potestas remittendi peccata, datur alius character, cum sit alia potestas, quæ proinde in alio characteri fundari debet. Neque est vlla ratio, cur non sint duo characteres, sicut sunt duæ potestates.

Dices: Non imprimi nouum characterem per impositionem manuum, sed extèdi dumtaxat priorè.

An, &  
quomodo  
dici possit  
extèdi  
Character  
vel Potest-  
tas Sacer-  
dotalis.

Respondeo: Si verè extenditur, ergo reale aliquid ei additur; ac proinde aliquid noui imprimitur, quod nos volumus. Quo modo etiã potestas sacerdotalis potest dici extèdi per impositionem manuum ad remissionem peccatorum, quæ potestas antè solùm se extendebat ad consecrationem; nihilominus tamen aliqua vera & noua potestas conferuntur, quæ antè non inerat. Si autem non verè, sed solùm significatiuè extèdatur character, sequetur etiam per impositionem manuum non dari veram potestatem aut gratiam, sed solùm significari potestatem & gratiam antè datam; quod falsum esse ostendimus.

3. Obiectio  
ex Cap.  
Presbyter,

Obijcitur Tertio: In Capitulo Presbyter, de Sacramento non iterandis, definitur, inquit Sotus, *Impositionem manuum non esse de essentia Sacramenti, sicut nec in Subdiacono.*

Soluitur.

Respondeo: Nihil tale dici, sed contrarium insinuari. Sic enim dicitur: *Presbyter & Diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt. Quod si omis- sum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi Ordines conferendos caute supplendum, quod per errorem extitit prætermis- sum. Quod autem contrarium insinuetur patet: nam pari modo requirit impositionem manus ad ordinationem Presbyteri, & Diaconi: atqui in ordinatione Diaconi est omnino necessaria; vt patet Acto- rum 6. vbi per solam manus impositionem & orationem ordinati sunt Diaconi, hæc porrectione libri Euangeliorum, qui tum nondum extabat: ergo manus impositio erat omnino necessaria materia: ergo pari modo in Sacerdotio est necessaria. Deinde, si solùm est cæremonia, cur dicitur *debere caute suppleri tempore ad Ordines conferendos constituto*? Nam quouis tempore suppleri posset, imò parum esset necessarium.*

DVBIVM VII.

*Virum contactus materia sit necessarius ad essentiam huius Sacramenti?*

15  
Quidam  
negãt.

Perique Doctores tenent non esse necessariũ. D. Thomas hic, Caietanus in Summa, verbo *Ordinandi*. Dominic. Soto q. 1. a. 2. Victoria q. 230. Ratio est: tũ quia hoc Sacramentũ consistit potius in traditione, quàm in acceptione, vt Concil. Flor. indicat; tum quia censetur aliquis accipere, quando manus extendit ad comprehendendũ id, quod porrigitur.

Hæc sententia probabilis est, non tamen certa. Vnde contrarium tutius est, & in praxi seruandũ, nempe, vt ea quæ porriguntur, benè tangantur, præsertim in Sacerdotio, vbi *calix & patena tangenda*. Si enim altera sententia fortassis in re, vera non sit, excusaberis quidem à peccato, quòd bona fide non tetigeris; tamen hæc bona fides non poterit supplere defectum essentialem Sacramenti. *Hostia* autem satis contingi censetur, dum tangitur *patena*; sicut *vinum*, dum *calix* tangitur. Bonum tamen est esse diligentem etiam in *Hostia tangenda*. Aduerte tamen: Non esse necessarium, vt contactus materiae, & formæ prolatio simul fiat: satis est vt moraliter simul fieri censeantur, etiam si alterum nonnihil præcedat alterum. Ita Sotus hic & alij.

Sententiã  
aitens tu-  
tior, & in  
praxi ser-  
uanda.

Notandum circa ea, quæ D. Thomas habet hic q. 34. a. 5. in Corpore, & ad 3. quædam non videri solida, nisi benignè explicentur. Nam Primò certũ est, spirituale potestatem, quæ confertur in hoc Sacramento, nõ solùm causari à Ministro, sed etiam ab ipso Sacramento, ac proinde à materia & forma huius Sacramenti. Quare hæc materia & forma non tantum adhibentur ad determinandam potestatem, quæ à Ministro traditur, sed etiam ad causandam: quin imò Minister non causat immediatè ipsam potestatem, vel characterem, vel gratiam, sed solùm mediante Sacramento. Secundò certum est, effectum, qui in alijs Sacramentis confertur, non solùm esse à Deo, sed etiam à Ministro, quamuis mediante Sacramento. Vnde ex hac parte non videtur statuendum discrimen inter Sacramentũ Ordinis, & alia Sacramenta. Verum hoc solùm differunt, quòd effectus huius Sacramenti deriuatur à Ministro, tanquam à causa vniuoca, sicut potestas à potestate; in alijs Sacramentis, effectus non ita à Ministro descendat, sed solùm tanquam ab eo, qui applicat materiam habentem diuinitus virtutem Sacramentalem. Et hoc videtur velle D. Thomas.

16  
D. Thott,  
benignè  
explicadus.

CAPVT II.

*De effectũ huius Sacramenti.*

DVBIVM I.

*Virum in Sacramento Ordinis conferatur gratia & Character. Et an Character Ordinis supponat Characterem Baptismi?*

Respondeo & Dico Primò: In Sacramento Ordinis confertur gratia & character. De gratia, patet ex dictis supra du. 3. De Characterè, etiam patet: quia per singulos Ordines datur aliqua peculiaris potestas in ordine ad Eucharistiã. De hoc plura infra.

Dico Secundò: Character Ordinis supponit characterè Baptismi. Quod adeò verum est, vt si quis careat characterè Baptismi, sit omnino incapax Ordinis: estque id commune Ordini cum cæteris Sacramentis. Baptismus enim tribuit proximam capacitatem ad cætera Sacramenta; vnde dicitur *lanua Sacramentorum*.

Notandum est: Id quod D. Thomas ait q. 35. a. 3. in respons. ad 2. *Si contingat non baptizatum ordinari, & sacramenta administrare, piè credi posse, Christum, qui est summus sacerdos, suppleturum defectum, dando vltimos effectus Sacramentorũ, nempe gratiam; parũ habere soliditatis. Nam ex Scripturis, & Patrum traditione non habemus alium modũ*

17

18

Si non ba-  
ptizatus  
ordinetur,  
& Sacra-  
menta ad-  
ministrer,  
Deus non  
supplet de-  
fectum,

Eeee iij ordina-